

05

A

1820



C

N

M

I



17
CONTEMPLATIONVM PHYSIO-
CARVM GENERALIVM
PRIMA

De

NATURA ET
CONSTITVTIONE

Philosophiæ Naturalis

Quam

Jehovâ Opt: Max: Auspice

In Illustri VVittebergensi Academia

PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto

PROPVGNABIT.

IACOBVS KOTAY HNGARVS.

Ad diem 28. Maj. Anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAULUM SCHETLERVM.

COPIE
UNIVERSITÄT
HALLÉ
1820



05 A 1820

JACOBIUS KURZ
Abdome...
VIIII

part
pic
tru
mi
con
ten
& i
lite
tur
lex
par



CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
PRIMA.

PRÆLOQVIUM.

In finitam Dei bonitatem, & potentiam in
creaturis hisce finitis latitare, & ex iisdem erui
posse, post homines natos neminem un-
quam negasse, persuasissimum habeo. Sa-
pientissimus Seneca, quoties per occultâ na-
turaibat, divina se tractare gloriabatur, vel is-
tatis Diis vel propitiis omnia agi statuebat. Et pulchrè Euris-
pides

Omnia quotquot erunt, quot sunt presentia, quotq;

Orta fuere ante hac, stirpes, hominesq;, feraq;

Inde etiam volucres, piscesq;, humoris alumni,

Cuncta DEVM referunt presentem in imagine parva.

Quia igitur non aliam ob causam in hoc mundi theat-
rum venimus, quàm ut speciem Universi, omniaq; sum-
mi rerum omnium conditoris opera, ac singula opificia
contemplando admirabilem illius potentiam, bonita-
tem, & sapientiam, quoad ejus fieri poterit, intelligamus,
& in ejus laudes ardentiori impetu abripiamur; hominis in otio
literario constituti munus haud dubie fuerit, infinitam illam na-
turae & rerum varietatem cognoscere. Exemplo est A-
lexander Magnus, Mithridates Rex Ponti, cui duæ ac viginti
parebant linguae, qui diuturnam rerum naturalium studiis operans
impensè

impenderunt; Exemplo est Anaxagoras, qui videndi coeli causa natum se esse, cuidam respondebat. Ad hanc jucundam rerum cognitionem capeffendam quasi manus ducit scientia, quæ Physica appellari consuevit, cuius jucundam utilitatem, & utilem jucunditatem disputando, delibabimus. Ea namq; quâ antiquitatem, omnibus disciplinis Philosophicis primas præcipit; huius beneficio Ethnici eo usq; pietatis pervenere ut dicerent: omnia Deorum plena esse, & considerando hæc visibilia ipsam divinitatem, & potentiam Dei crederent ipso teste Apostolo. Quod igitur felix & faustum sit, contemplationes hæc Physicas aggredimur, expedituri hac in prima συζητήσει Præcognita Physica, quibus expeditis ipsam scientiæ hujus naturam per principia affectionesq; indagabimus.

Methodus, quam in hisce exercitationibus observabimus, primùm proponet theses, quibus subijciet axiomata & quæstiones. Tu *Summe & Misericors Deus largire nobis tuam gratiam ut hæc studia nominis tui honori sacra portum, quem sibi proposuerunt, consequantur.*

T H E S E S

I.



Vemadmodum juxta Philosophum omnis commentatio ac studium nititur quibusdam præcognitionibus, ita etiam omnis disciplina omnisq; scientia certam normam requirere videtur. Omnis enim labor noster & actio ab alio pendet, & ad aliud tendit.

II.

Ergo & Physica ejusmodi normam agnoscat, ad quam omnia referre debet. Sed quænam ea? Danæus sacras literas normam Physicæ facere videtur, non impiè quidem, sed inconsideratius paulo. Non im-
piè.

piè. Quis enim Creatori de creaturis quid afferenti fidem non haberet: *Inconsideratè*, quia præter intentionem sacrae Scripturae illa profert. Nam essentiam Dei & voluntatem sacrae literæ nobis revelant, non demonstrationibus exactis visibilia Dei opera nobis explanant, nisi fortè melioris explicationis gratiâ quædam Physica interspergant. *At dicit:* Scriptura explicat creationem. Quid inde concludis? Explicat creationem, sed non omnium rerum visibilibus naturam, quæ certe à creatione differt.

III.

Nec illorum sententiam probare possumus, qui hominis alicujus scripturae scientiæ naturalis regulam constituunt: quia regula debet esse exactissima. Nemo mortalium vero tam exactæ cognitionis, & integer vitæ est, ut sine errore & crimine vivat. E. norma Physicæ erit liber naturæ, quem Deus nobis volvendum & revolvendum proposuit. Natura quæ vera dicit, apprehendamus, quæ falsa, fugiamus, sc. quæ falsa, dicitur, non illa statim abijcienda, quæ tanquam sublimia veneratur. Sic Omni præsentiam Lutheranam non rejicit Physica, sed tanquam sublimem veneratur: Unde nulla hic pugna, uti quidem nonnulla sensuum mancipia somniant.

IV.

Sit itaq; decisum: nihil est afferendum contra sacram Scripturam: nihil introducendum, quod est contra naturam; non citò quodvis probandum, quod insidias struit auctoritati magnorum virorum, & imprimis divini Aristotelis, cui aliquid nævi aspergere hodiè quibus ad eò jucundum ut egregie suo munere se profunctos esse sibi imaginentur, cum ipsum Philosophum diris devovent quem tamen nec intelligunt nec intelligere volunt. Homo is fuit & errare potuit, erravitq; sed ne statim ob errorem unum atq; alterum, suppressendus est & relegandus, dum interim tolerantur scripta vel centum absurdis scatentia. Tu quæso ullum ex Aristotele mihi demonstra absurdum, & eris mihi magnus Apollo.

V.

Normam igitur Physicæ inquisivimus, nunc ejus genuinum subjectum inquiremus, & primum quidem materiale, quod statuimus corpus naturale, de quo quæstio hic moveretur an corpus uaturale loco materialis obiecti in aliqua disciplina stare possit? Affirmativam teneo eamq;

ut probem duplici via rem aggredior. Primum disputo ex principiis concessis. Physica est disciplina realis non instrumentalis. Realis præter Physicam tres numerantur, una Practica quæ objectum materiale habet actiones humanas, & duæ Speculativæ, sc. Metaphysica, cujus objectum est Ens, & Mathematica, cum suis cognatis disciplinis, quarum subjectum est quantitas abstracta secundum rationem à materia. Cum igitur harum disciplinarum nulla tractet de rebus naturalibus, concludere omnino licet, quod corpus naturale possit dici subjectum certæ disciplinæ, cum absurdum sit, aliquid sciri posse, cujus nulla sit disciplina.

VI.

Deinde expendatur hoc argumentum: *Quicumq; conceptus affectionibus est præditus, & ad multos inferiores conceptus subalternos & specialissimos contrahi potest, nec est modus in alia scientia, is requirit certam disciplinam:*

Atqui corpus naturale est, ejusmodi conceptus, qui affectionibus est præditus, & ad multos inferiores subalternos & específicos contrahi potest, nec est modus in alia scientia.

Ergo conceptus corporis naturalis certam & peculiarem requirit disciplinam.

Majorem probo: quia in hoc distinguitur objectum disciplinæ à quavis conclusione certæ disciplinæ. Nam non quævis conclusio apta nata est contrahi per conceptus subalternos & específicos & si maximè apta sit, tamen est, & manet modus sive species in illa disciplina Unde in fumum abijt objectio quorundam qui Peripateticis occinunt, eosq; reprehendunt, quod non conscribant disciplinam de substantia quatenus substantia, de accidente quatenus accidente, cum Ens quatenus Ens sit subjectum alicujus disciplinæ. Nam substantia & accidens sunt modi in Metaphysicis, unde peculiarem disciplinam non requirunt. Minor in præcedente thesi est probata, & tam diu manet vera, donec contrarium probetur.

VII.

Quibus expeditis videndum est, quale materiale objecti Physici alij statuunt, ubi initio se offert Thomas, qui subjectum Physicæ Ens mobile, ejusq; subjecti materiale ponit Ens, cujus sententiã multi ad bonum sensum revocare student, sed parum efficiunt. Quia enim

enim Thomæ affecta in explicanda Thomæ mente variant, nec eadem sententia tanto Philosopho sit digna, merito rejicitur.

VIII.

2. Scotista quidam ut ipsis attribuit Piccol. in introduct. ad scient. natur. c. 25. Subjectum Physicæ defendunt substantiam finitam ut naturalis est cujus subjecti materiale itidem rejicimus eâ ratione quam Thomæ opposuimus:

3. Recentiores quidam naturam pro re considerata in subjecto Physicæ nobis obtrudere annuntiantur, parum attendentes principium affectionis incerta disciplina non posse subjectum statui illius disciplinae cujus affectionis principium dicitur.

IX.

4. Ad subjecti Physici rem consideratam etiam refert Guilielmus Adolphus Scribonius Deum & Angelos, quæ sententia absurda planè est, cum etiam S. S. Trinitatis personas ad Physicam referat, in cujus Opinionis refutatione prolixiores non sumus, cum sua inutilitate concidat. Concluditur igitur subjecti Physici subjectum quoad rem consideratum esse corpus naturale.

Verum non sufficit hic rem consideratam habere perspectam, cum eâ Physicam, à quavis re alia, minimè distinguat & etiam Medicæ corpus naturale consideret. Indiganda igitur erit ratio formalis hujus subjecti, quod antequam fiat, primum opiniones minus convenientes removere placet.

X.

Et quidem initio non negamus, quod etiam subjectum possit distingui per affectiones ab alijs rebus, hoc tamen non emus, quando aliam rationem formalem habere possumus quæ non sit desumpta ab affectionibus, tum perperam modum considerandi desumi ab affectionibus, quia hæc non constituunt subjectum, sed eodem natura sunt posteriores.

Non igitur τὸ mobile erit modus considerandi in subjecto scientiæ Physicæ, utiquidem volunt Albertus Magnus, Thomas & Ægidius Romanus, nisi fortè cum Ægidio τὸ mobile fundamentaliter sumseris, quomodo idem est ac naturale & ita prædictos auctores excusaveris. Vide Ægid. Rom. in Prologo libr. Phys. Arist.

12. 2. Qui-

XI.

2. *Quidam generabile & corruptibile pro modo considerandi hujus scientie agnoscunt, quæ opinio ideò rejicitur quia generabile & corruptibile saltem afficiunt certas corporis naturalis species. Affectio speciei vero formalis ratio generis constitui nequit, quemadmodum risibile non potest esse ratio formalis animalis. Eodem argumento quoq; refutari potest Marcus Antonius Genua qui mixtum pro formali agnoscit. Atq; hæc est remotio opinionis falsæ & adversæ, cujus rationes, cum leviores sint adferre noluimus, cum quilibet consideratis ijs, quæ dedimus principiis facile satis facere poterit parci adversæ.*

XII.

Subiectum igitur Physicæ adequatum, proprium, & genuinum tum quoad rem consideratam, tum quoad modum considerandi, erit corpus naturale, quatenus naturale. De materiali res est plana, de formali hoc propono argumentum.

Quodcumq; conceptum aliquem ab omnibus alijs distinguit, & in omnibus inferioribus radicatur, illud est ratio formalis illius conceptus.

Atqui 7^o quatenus naturale conceptum corporis naturalis à conceptibus omnibus distinguit, & in omnibus corporum naturalium speciebus radicatur.

E. 7^o, quatenus naturale erit ratio formalis conceptus illius, qui dicitur corpus naturale.

Major est certa. Minor probatur: quia nulla præter Physicam disciplina corpus naturale, ut tale est, evolvit, & omni corpori in statu objectivo considerato natura competit. At objicis: si naturale est ratio formalis corporis naturalis tum etiam medicina sub eadem ratione de corpore naturali dispiciet. Sed respondemus 7^o naturale hic restringere corpus, non simpliciter sed secundum considerationem Philosophi, quatenus is intellectui corpus contemplanti satisfacere debet. Nam modus considerandi non rem ipsam sed considerationem saltem contrahit. Nostra igitur quam cum Peripateticis defendimus sententia, firma stat & inconcussa, cum qua consentit etiam Scotus, quando subiectum naturalis scientiæ faciat substantiam finitam corpoream naturalem, quatenus talis est, uti Mentem Scoti explicat Philippus Faber Favent: in Phys: Scoti theor: 20, c. 1. pag. 23

13. Atq;

XIII.

Atq; hæc est objecti in scientia Physica probatio: Nunc porro ejusdem disciplina, natura generalis indaganda est per definitionem, divisionem, & causas. Definitio generalis est vel ὀνομασίωδης vel ἔστωδης. Illa absolvitur considerando impositionem nominis, homonymiam evolvendo, & encomia apponendo. Nomen à quo impositum, ignoratur, nec de eò ulla controversia. Quoad homonymiam vocabulum Physicæ tripliciter accipitur quemadmodum natura. Hæc enim 1. sumitur pro cuiusq; rei essentia & sic cum Ente convertitur, ita ut ubi Ens est, ibi etiam natura sit, quo pacto dicimus; hæc est natura Dei. Ad imitationem huius modi etiam quod vis essentielle dicitur naturale, ut hoc est naturale Angelis 2. Naturâ usurpatur pro facultate quadam restricta ad alteram tantum oppositionis partem, quo pacto distinguitur à facultate libera; sic dicimus naturâ sua lapis fertur deorsum, id est, motus deorsum, est lapidi naturalis. 3. Sumitur natura pro interna ad motum propensione, quo pacto totum mobilium genus denotat, & est quasi media inter duas prædictas significationes hæc acceptio, quo pacto etiam hic sumitur, & dicitur scientia naturalis disciplina contemplans corpus naturale quatenus tale.

XIV.

Encomia ejusdem sunt, quod appelletur à quibusdam 1. Physiologia. 2. περὶ φύσεως ἰσοπία 3. περὶ φύσεως λογισμὸς 4. Naturæ ratio 5. Naturæ descriptio à Cicerone 6. Naturæ cognitio & explicatio. 7. Secunda Philosophia, sc. quòd ratione dignitatis statim primam Philosophiam nempe Physicam sequatur.

XV.

Definitio rei absolvitur inquisitione veri generis & legitimæ differentiæ, Genus ita inquirimus: Nostræ mentis cognitio est habitualis. E. qualitas illa & actio mentis nostræ qua corpus naturale considerat tandem fiet, habitus, & quidem mentis. Ergo erit *Habitus vel Theoreticus vel Practicus*. Non Practicus: quia corpus naturale objectum Physicæ non est res operabilis ex sua natura; quia Ens necessarium est, ad quod mens nostra nihil virium habet ad mutandum vel virtutis ad producendum. E. erit *habitus Theoreticus*, & quidem vel *Sapientia*, vel *intelligentia*, vel *Scientia*. Non Sapientia: Quia hæc disciplina generalis est, requirens

B.

ob

objectum, quod sit quidditas omnibus rebus communis, id quod de corpore naturali & Physica enunciari nequit. Nec intelligentia: quia non versatur circa prima cognoscendi principia, sed circa conclusiones scientificas.

XVI.

E. erit scientia, quæ vox dupliciter ab auctoribus accipitur. 1. Pro quavis notitiâ certæ conclusionis, sive scientifica sit, sive probabilis, quam acceptionem nos nimis latam alij Sophisticam appellitant, ut Francofurt: 1. Post: quæst: 5. 2. Pro notitiâ, quæ animum hominis planè immobilem & immutabilem reddit, quo in significato iterum dupliciter capitur: 1. Pro notitiâ præcisa unius conclusionis scientificæ, ut quando per medium rationale hanc demonstro conclusionem: Omnis homo est risibilis. 2. Pro totali scientifica disciplina, ad quam plures scientificæ conclusiones partiales reducuntur. Et hæc in ultima acceptione per scientiam tanquam per genus Physicam, definimus: quia Physicæ objectum 1. est res æterna 2. Est causis suis præditum, & 3. Possidet affectiones realiter distinctas ab ipso, quæ de eodem objecto, per proximam & immediatam causam demonstrantur.

XVII.

Et hæc de genere: succedit differentia, quam hic ut in accidentibus fieri solet desumimus à formali ratione, & quidem modo considerandi, qui est ratio quatenus naturale, quo Physica, ab omnibus alijs scientijs & disciplinis distinguitur. Erit igitur Physicæ definitio hisce verbis exprimenda: Physica est corporis naturalis scientia quatenus tale; sive Physica est scientia contemplans corpus naturale quatenus naturale.

XVIII.

Definitionem excipit divisio, qua dividimus Physicam in partem generalem & specialem, eamque probamus hoc argumento;

Quot modis objectum Physicæ coram mente representatur, in tot etiam partes ipsa Physica distinguitur.

At duobus modis generali & speciali objectum Physicæ coram mente representatur.

E. etiam Physica duabus distinguetur vel dividetur partibus sc. generali & speciali

Major

Major probatur: quia disciplina nihil aliud est, quam objecti sui coram mente representatio. Minor itidem manifesta est: Nam Physica sinit menti primum corpus naturale tanquam objectum suum in genere nec non generalissimas affectiones.

Deinde objectum illud contrahit, & de objecto contracto speciales, nec non limitatas affectiones demonstrat.

Sed obijcis: Quodcumq; alijs disciplinis commune est: illud Physicæ proprium esse nequit,

Atqui generalem & specialem habere partem alijs disciplinis est commune. sc. Metaphysicæ & Philosophiæ Practicæ.

E. Habere generalem & specialem partem Physicæ proprium esse nequit, & p. c. illa divisio non est legitima.

R. *Ad majorem limitando: quodcumq; alijs commune est secundum rem & rationem, sc. juxta nomen & definitionem eandem: illud Physicæ proprium esse nequit. Atq; juxta hanc limitationem negatur Minor. Nam licet in Metaphysicis etiam habeatur generale & speciale in Practicis similiter: tamen non est eadem ratio & definitio. Nam in Metaphysicis est generale & speciale respectu Entis quâ Entis; in Practicis respectu actionum humanarum; in Physicis verò respectu corporis naturalis. Atq; sic objectio ista in sumum abis.*

XIX.

Causa Physicæ efficiens prima Universalis & remota est Deus à quo omnis boni, donatio. Particularis & proxima est philosophorum magnorum in inquirendis arcanis naturæ sagacitas & industria inter quos restim ducit Rex Salomon post hominum memoriâ sapientissimus, quem sequuntur Thales, Anaximanda, Anaxagoras, Anaximenes, Parmenides, Plato, Aristoteles, Pithagoras, Seneca, Plinius, Et quidem hosce Ethnicos Aristoteles non secus ac clarissimum Solis jubar astra splendidissima obfuscat & vincit, omnes superat, & multis ut dicitur parasangis post se relinquit. Materiam ex QVA Physica ut omnia accidentia non habet; materia ejus circa QVAM est corpus naturale. Materia in QVA est hominis intellectus. Formâ itidem Physica caret; quia ipsa forma est accidentalis intellectui inhærens.

Fiuis ejus simpliciter ultimus est gloria DEI; Ultimus, secundum

B 2

Secundum Quid est, ut mens perficiatur cognitione illorum attributorum, quæ ex consideratione corporis naturalis eruuntur. Intermedius est veritas de corpore naturali. Et hæc qua theses de natura & constitutione hujus scientiæ. Sequuntur

AXIOMATA.

I.

Quod verum est in Physica; id nullibi falsum est, in quavis etiam scientia.

Nam inter veritatem & veritatem non datur pugna, sed gradus deprehenduntur. In Physicis verum illud: Ex nihilo nihil fit. Nullum corpus, est in pluribus locis. A privatione ad habitum non datur regressus. Hæc ne alicubi falsa. Qui affirmant, primum illud creationi opponi ajunt, sed non distinguunt inter fieri & creari, nec sensum axiomatis illius assequuntur. Ignoravit creationem Aristoteles, unde ex mente illius explicandum est illud axioma: Ex nihilo nihil fit, sc. generatur. Deinde nullum corpus in pluribus locis esse potest, sc. corpus causis naturalibus subiectum. Tertio à privatione ad habitum non datur regressus, nempe naturaliter à privatione totali, non accedente aliqua causâ externâ infinitâ.

II.

Res Physicæ extra objectum suum non debent extendi. Quia tantum concludi debet, quantum principia permittunt.

III.

Physica ad facultates reliquas capeffendas admodum est utilis.

Theologo prodest in explicandis operibus sex dierum. JCrō operam præbet in quibusdam casibus decidendis. De Medico notum est tritum illud: Ubi desinit Physicus, ibi incipit medicus.

QUÆSTIONES.

I.

An Physica desinat in contemplatione?

Re:

Ramei nonnulli naturam disciplinarum ex utilitate metientes negativam tenent, & nescio quam περξiv Physicā urgent. Quasi verò illa disciplina, quæ non est de genere utilitum, statim negligenda. Hisce adstipulantur Chymici quidam, qui rerum naturalium cognitionem ad actiones dirigunt, ideoq; Physicam scientiam speculativam negant: ad practicam contra referunt, imò Chymicam artem partem Physicæ faciunt. Quibus respondemus.

I. *Esse contradictionem, quando dicunt scientiam Practicam. Nam Practicum & Theoreticum adeò opposita sunt, ut etiam habitum dividant. Opposita autem differentia non dicitur de opposita differentia; nisi forte concedere volueris dari irrationale rationale, h. e. asinum rationale. Qui vero dicit scientiam Practicam, is quendam habitum Theoreticum dicit practicum non sine contradictione.*

II. *Finem scientia alicujus non ex intentione hujus aut illius hominis, alijs usibus eam destinantis, sed ex propria natura esse æstimandum.*

III. *Artem Chymicam non esse partem Physicæ, sed modum quendam artis realiter à Physica distinctæ.*

Immota igitur manet affirmativa quæstionis, quam hunc in modum probamus:

Quæcunq; disciplina habet objectum ex natura sua non operabile; illa in contemplatione desinit.

Atqui Physica habet objectum sc. corpus naturale; quod ex sua natura non est operabile.

E. Physica desinit in contemplatione.

Major & Minor in thesibus fuere probata: ideoq; conclusio legitimè infertur.

II.

Quomodo res naturales dicantur æternæ & immutabiles?

Hanc quæstionem movemus in gratiam eorum, quia Physicam scientiam negant, idq; duplici modo. *Fuerunt namq; Philosophi, qui nihil certè constiuerunt, neq; quicquam planè se videre aut*

B 3

au.

audire putarunt, qui ut vehementer absurdi sunt, ita etiam se ipsos refellunt. Nam acriter defendendo istud, quod nihil certi sit statuendum, certi aliquid posuerunt. Deinde reperiuntur alij, qui res naturales æternas esse negarunt

1. Quia sunt corruptibiles & immutabiles.

2. Motus est propria affectio rerum naturalium. Atqui videmus res naturales ita moveri ut corrumpantur in individuis.

Ergo multò magis corrumpentur in specie; quia propria passio prius competit speciei, quàm individuis.

3. Non universalis non sunt æterna. Corruptibile vero est non universale: quia universalis non corrumpitur. E. corruptibile est non æternum, & p. c. res quædam naturalis non erit immutabilis.

Resp. Albertus circa initium libri Phys. & quidem ad primum, quod res naturales sint variables secundum quod sunt in determinato supposito, non tamen secundum esse universale, quod quia habet necessariam causam res etiam naturales dicuntur necessariz & æternæ veritatis.

Ad secundum respondet, quod res naturales sint mutabiles, & tamen immobiles ob immobilem rationem non solum respectu mentis nostræ sed etiam ex parte rei. Affectio omnis vero prius inest speciei (ut hic moveri corpori naturali) secundum universalem rationem.

Ad tertium respondet explicando minorem, quod corruptibile sit universale, nec corrumpatur, quatenus sumitur & sumi debet ut universale POST rem. Res naturales igitur sunt immutabiles & æternæ veritatis.

III.

Cur octo libri Physicorum Aristotelis inscri-

buntur περὶ τῆς φυσικῆς ἀποδείξεως?

Anne quia viva voce auditoribus sunt expositi & traditi?

An verò, quia ea, quæ in his traduntur per organon auditus cognoscimus ut sentit Albertus l. 2.

An vero tandem, quia attentum requirunt auditorem, eò quod subtiliores demonstrationes in illis adhibentur.

Quæ ultima ratio optima est. Nam duplicis generis sunt scripta Aristotelis, acroamatica sc. & exoterica. Illa limatiora, hæc po-

pu-

pularia; illa sunt contemplativa, hæc activa. Ad priora quoque referuntur libri Physicorum, unde titulus ille non sine ratione ipsdem est impositus.

IV.

An Aristoteles accusari possit, quod corporis naturalis doctrinam obscuritate & brevitate sermonis involverit, & an idem excusandus?

Philosopho nostro irascebatur, ut meminit Plutarchus, Alexander ob edita scripta acroamatica, quem epistola placavit Aristoteles, dum scribit, edita esse eadem scripta & non edita, Cum enim in Asiam transisset Alexander atque ad eum delatum esset commentarios de interioribus & gravioribus disciplinis (sc de Physicis & Metaphysicis) esse editos, scripsit ad Aristotelem literas, quarum hoc est exemplum: *Parum recte fecisti, quod disciplinas acroamaticas vulgaveris. Vbi enim ceteris prestabimus, si hæc in quibus instituti sumus, omnibus promiscua erunt disciplina? Ego verò optimarum rerum scientia, mallem me, quam potentia præcellere. Hactenus Versio Latina Plutarchi.* Plutarchus in Alexandro.

Hinc Aristotelis obirectatores accusant Philosophum quod in Acroamaticis intelligi noluerit, & per consequens sit negligendus hoc argumento: Qui non vult intelligi, ille debet negligi: Atqui Aristoteles in acroamaticis non vult intelligi. E. debet in Acroamaticis negligi. Verum major limitanda est ut vera sit de eo, qui nullo modo vult intelligi, id quod de Aristotele dici nequit. Is enim ita respondit Alexandro, ut eum placaret & ideo difficultatem earum rerum ipsi ob oculos posuit, quod scilicet non quilibet eadem scripta assequi posset. Aristoteles igitur obscurus non est, licet politus ac limatus. Secreta enim Philosophiæ non quibuslibet sunt revelanda, ne vilescant, & quod sæpe contingit, parum sobriè tractentur.

SOLI DEO GLORIA.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second line of faint, illegible text.

Third line of faint, illegible text.

Fourth line of faint, illegible text.

Fifth line of faint, illegible text.

Sixth line of faint, illegible text.

Seventh line of faint, illegible text.

Eighth line of faint, illegible text.

Ninth line of faint, illegible text.

Sei Deo Gloria



05 A 1820


ULB Halle
003 787 516

3



VOM





17
CONTEMPLATIONVM PHYSIO
CARVM GENERALIVM
PRIMA

De
NATURA ET
CONSTITVTIONE

Philosophiæ Naturalis

Quam

Jehovâ Opt: Max: Auspice

In Illustri VVittebergensi Academia

PRÆSIDE

M. GEORGIO GUTKIO

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
adjuncto

PROPVGNABIT.

IACOBVS KOTAY HNGARVS.

Ad diem 28. Maj. anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud PAVLVM SCHETLERVM.